



Ab. 127.
29.



Conclusiones

DISPUTATIONIS XV.

DE COMMODO
DATO ET ALIQUOT

actionibus, ut puta, exercitoria, Insti-
toria, Tributaria, quod cum eo &c. de
peculio, annali, in rem verso,
& quod iussu

Quas

Aspirante diuini numinis gratia

SVB PRAESIDIO

Clarissimi & consultissimi viri

D. ORTOLPHI FOMANNI

I. V. D. & P. P. P.

in inclyta Salana

*Publicè discutiendas ad 13. Octobr. hora & loco
conuetis proponit & defendere conabitur*

IOACHIMVS HAGEN

Brunsvicensis.

F E N A

Typis Tobiaë Steinmanni,

ANNO M. D. IC.



*Reuerendis amplissimis clarissimis ac cons
ultissimis viris*

Dn. POLYCARPO
LEYSERO SS. THEOLOGICÆ
Doctori ac in illustrissima Aula Dresdensi
concionatori dignissimo:

Dn. IOACHIMO HAGEN AM
plissimæ Reipubl. Brunsvicensium consuli
fidelissimo parenti suo.

Nec non

Dn. IOANNI RHVRANDT I. V. D.
& celeberrimæ eiusdem Reipubl. Brunsvicen
sium Syndico dignissimo.

*Dominis meccenatibus, parenti & patronis suis
summo obseruantia & honoris cultu
perpetuò colendis*

Hasce legales conclusiones in debita obseruantia
& studiorum suorum signum mit
tit & submittit.

Ioachimus Hagen
A. & R.



CONCLUSIO I.



Commodati vocabulo generaliter usurpato, omne id, quo proximo commoditatem præstamus, comprehenditur: propriè autem considerato; commodatum, quasi cum modo utendi datum, est contractus nominatus, realis bonæ fidei, quo res ad certum usum sub certo modo & fine utenda, ut eadem species usu modoq; finito, demum & non ante nec alia eiusdem generis restituitur, gratuito conceditur.

II.

Proprium huius contractus est, ut certus rei solummodo usus gratuito sub modo in commodatarium eiusve heredes transferatur, rei autem commodata & possessionem & proprietatem ipse commodator retineat. dissentire videtur Ius Sax.

III.

Re itaq; commodata aliter quàm sine modoq; præscripto utens jure civili (secus jure saxonico) furti actione tenetur.

III.

Ex prædictis hæc resultat quæstio; Numne sine intervallo aliquo, commodatum revocari possit? At cum in eo beneficium præstari debeat, & ad usum commodetur, sine intervallo repetitionem fieri non posse, concludimus. Quid si res ad certum usum &

A 2

tempus

tempus commodata, num finito tempore usu non-
dum impleto restituenda? A.

V.

Ex contrahentium igitur consensu, rei tamen
usu principaliter interveniente perficitur, & cele-
bratur commodatum; vno horum deficiente minimè
commodatum subsistit. vnde eos, qui iustum con-
sensum non habent, ut pupillus furiosus &c. citra
eorum quorum reguntur consilio auctoritatem nisi
quatenus facti locupletiores commodati actione
nequaquam teneri juris est; ad exhibendum tamen
ut res exhibita vindicetur, tenentur.

VI.

Verum occasione præcedentis thesios ancipitis
& arduæ hic recordor quæstionis apud Iuris Dd.
controverſæ, de impubere, si sine tutoris auctoritate
contraxerit, & locupletior inde factus sit, etiam civi-
liter obligetur? verior videtur sententia affirman-
tium.

VII.

Diversæ quoque opiniones de prodigo inveni-
untur, utrum à LL. bonorum administratio interdic-
ta sufficiat, an necesse sit ut decretum Magistratus
accedat, quorum posterior contra Donell. magis ar-
ridet sententia.

VIII.

De hac etiam Dd. sollicitos esse legimus, cum
prodigus bonos mores receperit, utrum ipso iure bo-
norum administrationis interdictio evanescat? an ut
Magistratus auctoritas, uti ab initio requiratur? prio-
ri astipulamur.

Consistit

Consistit autem commodatum in rebus omnibus, ut puta, tam mobilibus quam immobilibus tam corporalibus quam incorporalibus, tam proprijs quam alienis, quatenus tamen possessionem in ijs habemus, exceptis rebus fungibilibus, quæ ipso usu consumuntur, quamvis ad pompam & ostentationem easdem commodari posse, extra dubium sit.

ut habito lib 3. c. 1
33 f. 88 R. 504

X.

Cum autem interdum res commodantis voluntate, quæ usu quidem atteritur & deterior fit, commodetur hinc evenit, ut res etiam quæ usu vilescit, non prorsus tamen in totum absumitur, non minus recte quam & alia in hunc contractum veniant, si commodans rem usu deteriore futuram sciverit: Deterior enim reddi non intelligitur, quæ occasione usus illius in quem concessa est deterior facta redditur: Idcirco eius nomine commodatarius nihil omnino præstare tenetur.

X I.

Forma quæ ipsius rei essentiam concernit, est ipse actus, & potissimum est posita, in gratuita rei traditione sine modoque usus annexo per tempus expresse definitum vel tacite subintellectum.

lib 3. c. 1. 33 f. 90

X II.

Ideo autem commodamus, ut mutuis officijs, alios adiuvemus & communicato rerum usu communibus vitæ necessitatibus in hac civili societate subueniatur. Vti enim usus in abusu in mutuo: ita salva rerum substantia usus in commodato conceditur.

X III.

Nascitur ex hoc contractu actio commodati bonæ fidei, civilis, personalis & rei persecutoria. Directa

A 3.

recta

recta datur commodanti eiusve heredi, contra com-
modatarium eiusve heredem, vt vfu finito & definito
tempore elapso eadem res integra cum omni acces-
sorio, fructibus, & vtilitatibus, suoq; loco ac tempore,
quo conuenit, reddatur: aut re deteriorata id quod
interest, re perempta aestimatio praestetur.

XIV.

Quaeritur re pluribus commodata, an singuli in
solidum conueniantur, & an vnus solutione reliqui
liberentur? Illud N. hoc A.

XV.

Hic etiam disceptatur, an duo vnam eandemq;
rem eodem tempore in solidum possidere possunt, vt
alter naturaliter alter ciuilitate, possideat. Quod as-
serimus.

XVI.

Nec accipimus iustam possessionem vt ciuilem &
iniustam vt naturalem, siquidem naturalis non minus
iusta esse potest quam ciuilis.

XVII.

Datur haec actio aduersus patrem dominumve
commodatarij peculiotenus, aduersus pupillum lo-
cupletiolem ex Diui Pij rescripto.

XVIII.

Insignis & grauis hic se offert quaestio? Si reus
rem deterioratam cum pretio deteriorationis soluere
sit paratus, an commodatarius rem suam recipere te-
neatur, an vero vt totius rei aestimatione soluat cogi
possit. Prius A. Num vero domino rem similem ob-
trudere licet? Negatiua placet.

XIX.

Vtile ex praemissis resultat dubium; an commo-
datarius ad restitutionem equi & armorum perditio-
rum in bello teneatur, N. Quo

*Contraria
actio.*

XXV.

Contraria commodati actio conceditur com-
modatario eiusve heredi aduersus commodantem
eiusve heredem, si vel uti re commodata sit prohibi-
tus, vel damnum ex re vitiosa scienter commodata
sensit, vel si in conseruationem rei commodatæ ali-
quid magni impendit, &c: Num & compensationis
iure uti possit commodatarius, dubitant. Sub certa
conditione id A.

XXVI.

Transitio,

Expeditis iam ijs, quibus res creditæ ex nostro
contractu petuntur: Consequenter sequitur, quibus
actionibus conveniamur ex contractu mediato.

XXVII.

*Exercito-
ria.*

Ex quorum numero prima est Exercitoria à
Prætorè ob navigantium vtilitatem introducta, & ab
ipso exercitore sic dicta, quæ datur in solidū contra
exercitorem vel ipsius heredes ex contractu Magistri
vel ipsius substituti, eius rei gratia cui præpositus est,
inito, ad id consequendum ab eo quod ex contractu
magistri vel substituti debetur eatenus tamen quate-
nus ad ipsius curam & magisterium pertinet.

XXVIII.

Hæc actio ad nautas extendi non debet, quan-
quam ex eorum delictis in navi commissis in exerci-
torem, quia malorum hominum vitur opera, de-
tur actio.

XXIX.

Nec interest an liber homo an servus, an mascu-
lus an femina, an paterfa, an filiusfa, exerceat. In pu-
pillo tutoris authoritas exigitur, quia de eo obli-
gando agitur.

Eadem

XXX.

Eadem ratione non refert, cuius conditionis vel ætatis is sit, qui præpositus est sibi enim imputet, qui minus idoneum naui præfecit.

XXXI.

Diuidunt hanc actionem in directam & vtilem non in contrariam, quia contra magistrum exercitor agere potest; vel ex locato si mercenariam, aut mandati, si gratuitam operam præbuerit.

XXXII.

Si vero plures exercent navem quæstionis est; utrum singuli exercitoria teneantur? quod A.

XXXIII.

Exercitoria actioni cum maximè sit affinis institoria. Institoria rectè eam subsequitur: Sicut enim maritimis; ita & terrestribus negotiationibus quis præficitur: Sortitur autem nomen non à præponente, sicut exercitoria, sed à præposito, Institore videlicet, & datur ex contractu Institoris in eum qui præposuit Institorem in solidum, ad id, quod ex contractu debetur.

XXXIV.

Instituitur in omnes, qui præposuerunt, etiam in mulierem, & pupillum, siquidem tutoris auctoritate præpositio facta; sin minus eatenus, quatenus locupletior factus.

XXXV.

Filiusfa. pecunia mutuo accepta licet Macedoniani exceptione liberetur: adversus patrem tamen nihilominus hæc actio in solidum datur. Num morte præponentis revocatur institoris præpositio? N. An vero ob id pro vocabulo sciens in l. si quis. I. 7. §. eius. 3. ff. h. t. legendum sit; nesciens, ambigunt. Textum

B

non

non esse corrigendum contra Ant. Fabr. statuta us:
Quid si quis velit post finitum officium adversus ipsum
institorem experiri? ut in exercitoria; ita & in instito-
ria id admitti cum Duar. sentimus.

XXXVI.

Tributoria

Ad terrestres negotiationes referuntur & illae
actiones quae mercis peculiaris causa inventae sunt, ut
est primum Tributoria actio, quae iudem praetoria,
personalis, & perpetua, a distributione dicta, est,
quando videlicet servus domino sciente & non con-
tradiciente in merce peculiariter negotiatur: Datur vero
illis qui cum servo vel filiof. peculiariter contraxe-
runt contra dominum vel patrem, ut merces peculia-
res aequaliter eum creditoribus dividant aut si inae-
qualiter dividerunt, ut eius distributionis iniquitas
sine ullo deductionis privilegio corrigatur. Datur
quoque creditorum heredibus contra heredes &
quoslibet domini successores, de eo duntaxat, quod
ex dolo defuncti ad eos pervenit, ex proprio autem
dolo in solidum. An & pupillo furioso, & domino
tutoris, curatoris, & procuratoris dolus nocet? A.
Ergo multo magis proprius.

XXXVII.

Deinde vel in filium solum actio ex contractu
est introducta, vel coniunctim nomine filij & servi in
patrem vel dominum: In filium solum actio quod
cum eo &c. est, quae causa cognita datur ijs, qui cum
filiof. contraxerunt adversus ipsum vel emancipatum,
vel exheredatum vel abstinentem ab hereditate, ut in
id, quod facere potest damnetur. At eius rei nomine,
pro dita est restitutio in integrum, de capite minutis,
ideoque vel illud remedium, vel haec actio erit super-
vacua.

*Quod
cum eo
&c.*

vacua. Illud edictum paulo durius videtur; Ideo hic
aliud edictum Prætoris extat, ne emancipatus ulterius
causa cogita conveniatur, quam quatenus facere
possit. Quo beneficio filio, non etiam heredi eius
succurritur. Detrahere autem filius hic nequit, quod
alijs debetur, nisi sint privilegiati creditores. Horum
siquidem sicut illorum, qui postquam sui juris factus
est, cum eo contraxerunt, ratio habetur.

XXXIX.

Coniunctim nomine filij & servi in patrem vel
dominum, competit actio vel illis nec iubentibus nec
scientibus, vel illorū iussu. Nec iubente nec sciente pa-
tre, vel domino, si cum filio, vel servo contrahimus
institui potest actio de peculio & de in rem verso. Pe-
culium dicitur pusillum patrimonium quod pater fi-
lio aut dominus servo ad negotiandum tacite vel ex-
presse concessit, ita ut à paternis dominicisque ratio-
nibus remotum sit & separatum. Actio igitur de pe- *De peculio*
culio pagano & profectitio competit ei, qui cum
filio, vel servo contraxit, adversus patrem domi-
numve ut quatenus in peculio, eatenus actori satisfi-
at: Quod vero domino patrive debetur, semper de-
ducitur.

XXXIX.

Prohibens quoque pater vel dominus nec adi-
mens peculium nihilominus de peculio tenetur; &
in fraudem ademptio facta non valet. Num pater vel
dominus de filiorum servorumque delictis peculio-
tenus teneantur intricatæ quæstionis est? quatenus
locupletiores facti eatenus eos teneri asserimus:
Idemq; contra Coit statuitur filio iam condemnato.

XL.

Tenentur autem de peculio profectitio, ut dictum
est; de adventitio non nisi ac legitimus administrator

lib 3 ct 35 f 29

conveniri possunt. De peculio Castrensi, vel quasi non item, in hoc n. casu filius pro patref. habetur. Si nihil in peculio, an de peculio actio locum habet? A. Sequi enim debet condemnatio, quando rei iudicatae tempore quid in peculio reperitur.

XLI.

Annalis.

Ac quam diu filius, vel servus in patris vel domini potestate permanent, tam diu actio de peculio perpetuo durat, mortuo autem vel emancipato, vel manumisso, vel alienato annalis fit, & post annum patri vel domino exceptio datur. Si etiam pater filio succedit in solidum ex hereditate creditoribus satisfacere debet.

XLII.

Cui vero exercitoria, institoria, & tributoria competit, an is & de peculio, & in rem verso agere potest, ita ut una intentata, succumbens ad aliam recurrere queat? N. Nisi iusto errore ductus minus vtilem elegerit.

XLIII.

De in rem verso.

Actio de in rem verso datur contra dominum vel patrem, si filius vel servus non eius voluntate contraxit, quatenus in rem eius utiliter vel necessario versum est. Quid autem si in rem unius tantum ex socijs versum, num alter quoq; tenetur? N. nisi peculium ab altero ademptum fuerit. Num v. socius pro peculio socij de peculio conveniri potest? A. nisi peculium sit ademptum. Si quid in rem patris versum fuerit postea versum esse desierit an teneatur? N.

XLIV.

Quod iussu.

Actio quod iussu datur adversus patrem vel dominum ex contractu filij, vel servi patris vel domini iussu celebrato, eatenus, quatenus iussum est. An iussu & mandato patris minor negotium, gerens restituitur, prius affirmamus, posterius negamus.

F I N I S.



Kc 3192

8^o

(X2217985)

VO 12

MC





Conclusiones

DISPUTATIONIS XV.

E COMMOTIO

ET ALIQVOT

nibus, vtputa, exercitoria, Insti-
a, Tributoria, quod cum eo &c. de
peculio, annali, in rem verso,
& quod iussu

Quas

Aspirante diuini numinis gratia

SVB PRAESIDIO

Clarissimi & consultissimi viri

ORTOLPHI FOMANNI

I. V. D. & P. P. P.

in inclyta Salana

*licè discutiendas ad 13. Octobr. hora & loco
conuetis proponit & defendere conabitur*

OACHIMVS HAGEN

Brunsuicensis.

J E N A

Typis Tobiaë Steinmanni,

ANNO M. D. IC.

